**S**i autem filij ammon p̄ualuerint aduersum te: auxiliabor tibi. **E**sto vir fortis: z pugnemus pro populo nostro z ciuitate dei nr̄i. **D**ominus autem faciet qd bonū est in conspectu suo. **I**nijt itaqꝫ ioab et populus eius qui erat cum eo certamen p̄tra siros: **Q**ui statim fugerūt a facie eius. **F**ilij autē ammon videntes qꝫ fugissent siri: fugerūt z ipsi a facie abisai. z ingressi sunt ciuitatē. **R**euersusqꝫ est ioab a filiis ammon. z venit hierusalē. <sup>Alias. videtes igitur fili amon qui sirus expavit et.</sup> **V**identes igitur siri qm̄ corruissēt coram israel: congregati sunt parit. **M**isitqꝫ adadezer z eduxit siros qui erant trans fluum z adduxit exercitum eozum. **S**obach autem magister militie adadezer erat princeps eozum. **Q**d cū nūciatum esset dauid. contraxit oēm israelē z transiuit iordanem: venitqꝫ in belam. **E**t direxerunt acie siri ex aduerso dauid: z pugnarunt contra eum. <sup>Alias israel</sup> **F**ugeruntqꝫ siri a facie israel. **E**t occidit dauid de siris septingentos currus. z quadraginta milia equituz. z sobach principem militie percussit: qui statim mortuus est. **V**identes autē vniuersi reges qui erant in p̄sēdio adadezer. victos se esse ab isrl̄ expauerunt z fugerunt quinquaginta z octo milia eozū israel. **E**t fecerunt pacem cum israel. z seruerunt eis. **T**imueruntqꝫ siri auxiliū p̄bere filiis ammon.

**C. XI.**

**Tempore quo solent** etc. i. vere qñ pulsa frigidis asperitate: pa-  
bula reperuntur iumentozū.

In hebreo ita legit: eo tempore quo reges ad bella processerāt. misit da-  
uid ioab etc. Processerāt. i. ad pugna cōtra dauid: rex roob. et istob. soba  
et maacha. qui reges sirię fuerūt: et pugnare voluerunt cōtra dauid cōdu-  
cti a rege moab: sed devicti sunt.

**Dum hec agerentur ac.** Dauid grauer peccauit: qđ et per ppham

deus arguit: et ipse pe-  
nitēdo abluuit. Sed  
ille desiderabilis cum  
ctis gentibz quasi i so-  
lario deambulās. in  
sole posuit taberna-  
culā suā. et amavit ec-  
clesiā super tectū se la-  
uantē. i. mundantē se  
a sordibz seculi. et do-  
mū luceā spiritali cō-  
tēplatione trāscēden-  
tem et calcantē et icho-  
ata cū illa prime con-  
ventionis noticiā. se-  
paratū ab ea diabo-  
lū occidit. sibiqz eam  
perpetuo copulauit.  
Oderimus ergo pec-  
catū: sed nō extingua-  
mus pphiam. amem<sup>9</sup>  
illū dauid quantum  
amāduz est: qui nos  
a diabolo per miseri-  
cordiā liberauit. amemus istū penitentē: qui tam graue vulnus peccati hu-  
militatis confessione sanauit.

**Bersabee** Idorus. Putens satietatis: vel puteus septimus. Ec-  
clesia vero vocat puteus aque viue: et huic puteo septenarij nomē numeri  
in spiritus sancti significatione coniūgit. propter rationē pentecostes: quo  
die de celo spiritus sanctus missus ē. Ad xlii. i. septies septē vñs addit: qm̄  
vnitas cōmendatur. vnde: Solliciti seruare vnitatē spūs in vinculo pa-  
cis. Dono itaqz s; i. i. septenario. facta ē ecclesia puteus satietatis: quia  
factus ē in ea fons aqz salientis vitā eternā: quē q̄ biberit nō sitiet icernū.

**Grego.** Adhuc carnis corruptibilis pōdere grauari nō valemus sic  
vniere: vt nulla nos possit culpe delectatio pulsare. Sed aliud ē nolentē  
tangi: aliud consentientē. Sacti aut vni tanto vigilātionē se circūspectōe  
custodiūt: quāto se pulsari sinistris motibz vel transitorie dedignātur. vt  
si quid forte corūllicitū concupisceret: pressus per disciplinē magisterium  
oculus videre recusaret. Sicut enī sepe tētatio per oculos trahit: sic non  
nūqz cōcepta intrinsecus cōpellit sibi extrinsecus oculos deseruire. Plez  
qz enī quilibet res innocenti mēte respicit: sed in ipso cōspectu animus cō-  
cupiscentię gladio cōfodit. Nō enī dauid vni cōiūgē studiose respexit:  
qz cōcupiscerat: sed potius cōcupiuit: qz incante respexit. Iusto vero retri-  
butionis examine qui exteriori negligenter vtitur: interiori oculo cecatur.  
Sepe aut iam intrinsecus cōcupiscentia dñatur: et illecebratus anim<sup>9</sup> ad  
vni suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit. suisqz volu-  
ptatibus oculos seruare compellit: et fenestras luminis aperit ad tene-  
bras cecitatis. vnde sancti viri cū sinistra delectatione pullari se sentiūt:  
ipsa per que forme spēs ad mentē ingredit. disciplinē magisterio lumina re-  
stringūt: ne prauę cogitationi visio lenocinata famulet. Quę si vnqz sub-  
tiliter custodiri negligit: cogitationis imundicia ad operationē transit.

**Grego.** Sepe res q̄libet per hystoriā virtus ē: per significationē cul-  
pa. sicut aliquādo culpa in facto: in scripto pphie virtus. Quis enī nō de-  
testet qđ dauid in solario deambulans bersabee vni cōcupiuit vxorem.  
Quē tñ a prelio reuertentē ire domū monet. pedes lauare. qui protinus re-  
spōdit dicens: Arca dei sub pellibz. et ego in domo mea requiescam. Quę  
dauid ad mensam propriā suscepit. eiqz epulas per quas mozi debeat tra-  
dit. Tenet ergo dauid figurā eius de quo scriptū ē. In sole posuit taber-  
nū. Qui bersabee ad se iubet perducere. i. legē litterę carnali populo con-  
iunctā spūali sibi intellectu sociare. Bersabee enī puteus. vii. dicitur: qz p  
cognitionē legis infusione spūalis gratię perfecta nobis sapiētia ministrat.  
Vrias vero iudaicū pplm significat. qui interpretat lux mea dei. Judai-  
cus enī pplis qui de accepta legis scientia extollit: quasi dei luce gloriatur.  
Sed huic dauid vxorē abstulit. sibiqz cōiunxit: qz manu fortis redēptoz  
apparens. dñ de se spūaliter legē loqui innotuit: per hoc qđ iuxta litteraz  
tenebatur. hanc a iudaico ppho extraneā demōstrauit: sibiqz coniūxit: qđ

**Actū ē autē**

vertente anno eo tem-  
pore quo solēt reges ad bella pro-  
cedere: misit dauid ioab et seruos  
suos cū eo: et vniuersū israel et va-  
stauerūt filios ammon. et obsede-  
rūt rabbach. Dauid aut remansit  
in hierusalē. Dum hec agerent. ac-  
cidit qđā die: vt surgeret dauid

† Manu fortis. vel visu desiderabilis.  
cidit qđā die: vt surgeret dauid

se per illā predicatū declarauit. Vriam tñ ad domū monet ire: et pedes la-  
uare: qz incarnatus iudeis precipit. vt ad cōscientiā redeant: et sordes opū  
suetibz tergāt: vt spūaliter mādāta legis intelligāt: et post tantā duriciā pre-  
ceptoz fontē baptisimi inueniētes ad aquā post laborē currāt. Sed vrias  
qui arcā dñi esse sub pellibz meminit. respōdet: qz domum suā intrare non  
possit. quasi dicat. Ego mandata dei i sacrificijs carnalibz video. et redire  
ad cōscientiā per spūalem intelligentiā nō requiro. Quasi enī arca dei  
esse sub pellibz dicit:  
qz precepta dei nō ni-  
si exhibendo ministe-  
riū carnalis sacrificij  
intelligit. Hūc tamē  
redire domū nolentē  
dauid ad mensā vo-  
cat: qz cum iudei ad  
cōscientiā reuerti con-  
tēnāt: christus tamen  
spūalia predicat di-  
cens: Si crederetis  
moysi: crederetis for-  
sitan et mihi. de me enī  
ille scripsit. legem enī  
iude<sup>9</sup> tenet que ei<sup>9</sup> di-  
uinitatē loquitur. cui  
credere dedignat. vñ  
et vrias ad ioab cum  
eplis ex quibz occidi  
debeat. mittit: qz iu-  
de<sup>9</sup> legē portat: qua  
conuincēte moriatur  
Cū enī mādāta legis

declināte iam mundo  
de stratu suo post meridiem. et de

† In sole posuit tabernaculū suū. corpus. i. qđ  
assumpsit. cunctis patefecit.

ambulare in solario domus re-

† Propter fluxū menstruū. vt quidā volunt.

gig: Uiditqz mulierem se lauau-

tem ex aduerso super solariū suū.

Erat autem mulier pulchra valde.

Misit ergo rex. et requisit que eēt

mulier: Nūciatumqz est ei qđ ipsa

esset bersabee filia heliam: vxor

retinens implere nititur: ipse defert iudiciū vnde dñatur. Quid ergo per  
factū istud dauid sceleratus: quid vria mūdus: Sed ad mysteriū qđ da-  
uid sanctus: quid vria infidelis: Quia ille per vni culpā pphie signat  
innocentiā: et iste per vni innocentia in pphie exprimit culpā. virtus enim  
sacri eloquij sic transacta narrat: vt ventura exprimat. lic in facto rem ap-  
probat: vt in mysterio contradicat. Sic gesta dñatur: vt hec mystice gerē  
da suadeat.

**Grego.** Ad hoc in scriptura dauid et petri peccata sunt indita: vt  
cautela minor sit ruina maior. Ad hoc penitētia insinuat et venia: vt spēs  
penitentiū sit recuperatio perditozū. De stratu suo dauid cadente nemo sup-  
biat. de lapsu etiā resurgēte dauid: nō desperet. Mirabiliter scriptura co-  
dem verbo superbos arguit: quo humiles leuat. Vñ nāqz rem gestā re-  
tulit: et diuerso modo superbol ad humilitatis formidīnē: humiles ad spei  
fiduciā reuocauit. Inestimabile noui generis medicamentū. qđ eodē or-  
dine positū et pigmento tumētia exccat: et sublenādo arētia infundit. De  
maior noz lapsu terruit: sed de reparatione roborauit. Sic nos diuine  
dispensationis misericordia: et superbiētes reprimit: et ne desperatione corru-  
amus fulcit. Sed fortasse lectoris anim mouetur: cur deus eos quos eligit  
quosqz ad donozū spūaliū culmen assumit. a vitijs nō custodit: Sed mīta  
per accepta dona virtutiū. per impelam gratiā bonoz operū in superbiā  
cadūt: sed tñ qđ ceciderūt nō agnoscūt. Cōtra eos ergo hostis antiqu<sup>9</sup>: qđ  
iam interior dñatur. exterior seuire permittit: vt qui in cogitatione elati  
sunt: per carnis luxuriā cōsternātur. Aliqñ aut minus ē in corporis corru-  
ptione cadere: qđ cogitatōe tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cū  
minus turpis superbiā credit. min<sup>9</sup> vitatur. Luxuriā eo magis erubescit  
hoies: qz simul oēs turpem nouerūt. Ideo multi p vel post superbiā i lu-  
xuriā corruentes ex aperto casu malū culpe latentis erubescunt. et maiora  
corrigūt: cū prostrati in minimis grauius confundunt. Reos enī se int<sup>9</sup> mi-  
nora conspiciūt: qui se liberos inter grauiora crediderūt. Pia ergo dñi  
dispensatione laxatos sepe malignus spiritus de culpa ad culpā trahit.  
et quo plus percutit eū quē ceperat amittit. et vnde vicisse cernitur: inde su-  
peratur. Considerare libet intra munitionem gratię sinū: quāto deus miseri-  
cordię fauore nos cōtinet. Ecce qui de virtute se extulit: per viciū ad hu-  
militatē redit. Qui vero acceptis virtutibz extollit: non gladio sed medi-  
camento vulneratur. Virtus enī medicamentū: vitium vulnus. Quia qđ  
de medicamento vulnus facimus: facit ille de vulnere medicamentū. vt  
qui virtute percutit: vicio curetur. Virtuti enī dona reuocemus i vsu  
viciozū: ille viciozū illecebras assumit in arcē virtutiū: et salutis statū pec-  
tit. vt seruet. vt qui humilitatē curantis fugimus: ei saltem cadentes hēre  
amus. Sed pleriqz quo in multis commūt: artius ligantur. Cūqz eos an-  
tiquus hostis ex vno vicio percutit vt concidant: ex alio ligat ne surgāt.  
Consideret ergo homo: cū quo aduersario bellū gerat: et si iam se i aliquo

deliquisse perpendit  
salte ad culpā pertra  
bi ex cōpa ptimescat  
z studiose vitent vul  
nera: quibz frequēter  
interficiat. qz valde ra  
tum ē qz hostis noster  
electorū saluti etiam  
vulneribz seruiat. Ad  
erudicēdū enī dñs se  
pe electos tentatorū  
subijcit: sicut post pa  
radisi claustra post  
tercij celi secreta ne re  
uelatōnū magnitudi  
ne paulus extolleret  
dat<sup>9</sup> est ei angelus sa  
thang. Sed hac tēta  
tione disponitur. vt  
qui elati perire pote  
rāt: humiliati seruet  
Secreto ergo dispē  
sationis ordine vnde  
senire pmittitur iniq  
tas diaboli: inde per  
ficatur benignitas dī.  
qz inde obtēperat nu  
tibus superne gratie  
vnde exercet iraz vo  
luntatis suę.

<sup>† .i. diaboli. qui falso dixit lux mea dei: ideoqz  
de terra viuentiū merito abscessus. Etheus enim  
abscessus.</sup>  
vrię ethęi. **M**issis itaqz dauid nū  
cijs tulit eam. **Q**uę cum ingressa  
esset ad illum: dormiuit cum ea.  
<sup>† .i. mēstruali effusioe</sup>  
**S**tatimqz sanctificata ē ab iū  
dicia sua: z reuersa est i domū suā  
concepto fetu. **M**ittensqz nuncia  
uit dauid. z ait: **C**oncepti. **M**isit  
autē dauid ad ioab dicens: **M**it  
te ad me vriam ethęum. **M**isitqz  
ioab vrias ad dauid. **E**t venit vri  
as ad dauid. **Q**uęsiuitqz dauid qz  
recte ageret ioab z popul<sup>9</sup>: z quo  
modo administraret bellū. **E**t dixit  
dauid ad vriam: **V**ade in domū  
<sup>† Post labore balneis vtire: partē posuit pro fo  
ro cozpoz. nō enī tātus vir discalciat<sup>9</sup> iccedebat  
tuā: z lauā pedes tuos. Egressusqz</sup>  
est vrias de domo regis. secutusqz  
<sup>† vt refectus deliciose. prouocatus libidine doz  
miret cū vxore. et sic adulteriū lateret.</sup>  
est eū i cibis regius. **D**ormiuit at  
vrias ante portam domus regie  
cum alijs seruis domini sui: z nō  
descendit ad domū suam. **N**unci  
atūqz est dauid a dicentibus. **N**ō  
iuit vrias ad domum suaz. **E**t ait  
dauid ad vriam: **N**ūquid non de  
via venisti? quare nō descendisti  
ad domū tuā? **E**t ait vrias ad da  
uid: **A**rca dei z israel z iuda habi  
tant in papilionibus. z dominus  
meus ioab. z serui domini mei su  
per faciem terre manent: z ego in  
grediar domum meā vt comedaz  
z bibam z dormiā cū vxore mea.  
**P**er salutē tuam z per salutē aie  
tuę non faciam rem hanc. **A**it er  
go dauid ad vriā: **M**ane hic etiā  
hodie. z cras dimittā te. **M**ansit  
vrias in hierusalez in die illa z al  
tera: **E**t vocauit eum dauid vt co

mederet coram se z biberet: z ine  
briauit eum. **Q**ui egressus vespe  
dormiuit in stratu suo cum seruis  
domini sui: z in domū suam non  
descendit. **F**actum est ergo mane  
z scripsit dauid epistolā ad ioab.  
z scripsit per manū vrię. scribens i  
epistola: **D**onite vriam ex aduer  
so belli: vbi fortissimū est p̄gliaz.  
z derelinquite eum vt percussus  
intereat. **I**gitur cum ioab obside  
ret vrbem. posuit vriā in loco vbi  
sciebat viros eē fortissimos. **E**gres  
siqz viri de ciuitate. bellabant ad  
uersum ioab. z ceciderūt de pplo  
seruorū dauid: z mortuus ē etiaz  
vrias ethęus. **M**isit itaqz ioab: z  
nūciauit dauid omnia verba p̄lij  
**P**recepitqz nuncio dicens: **C**um  
cōpleueris vniuersos sermones  
belli ad regem. si eum videris idi  
gnari. z dixerit quare accessistis  
ad murū vt p̄gliaimini: an igno  
rabatis qz multa desuper ex mu  
ro tela mittantur? quis percussit  
abimelech filiaz hieroboal: nōne  
mulier misit super eum fragmen  
molę de muro. z interfecit eum in  
thebes: quare iuxta murū accessi  
stis? **D**ices: **E**tia seruus tuus vri  
as ethęus occubuit. **A**biit ergo nū  
cius z venit z narrauit dauid oia  
quę ei p̄ceperat ioab. **E**t dixit nū  
cius ad dauid: **P**reualuerūt ad  
uersum nos viri: z egressi sunt ad  
nos in agrū. **N**os aut facti ipetu  
persecuti sumus eos vsqz ad por  
tam ciuitatis. **E**t direxerūt iacula  
sagittarij ad seruos tuos ex muro



desuper: mortuūq; sunt de seruis regis. **Quinetiā** seru<sup>9</sup> tuus vrias ethēus mortuus est. **Et** dixit dauid ad nunciū: **Hęc** dices ioab: **Non** te frangat ista res. **Uariū** enim euentus est p̄līj: <sup>vel belli</sup> z nūc hūc nunc illum consumit gladius. **Cō**forta bellatores tuos aduersus vr̄bem: vt destruas eam. z exhortare eos. **Audiuit** autē vxor vrie q; mortuus esset vrias vir su<sup>9</sup>: z plāxit eū. **Transacto**q; luctu misit dauid z introduxit eam in domum <sup>† Jam obstinatio culpe occasione non habet defensionis. et ideo recte propheta mittitur.</sup> suam. z **†** facta est ei vxor: **Depe**ritq; ei filium. **Et** displicuit verbū hoc qđ fecerat dauid corā dño.

## C. XII.

**M**isit ergo dominus nathan ad dauid.

**Qui** cum venisset ad euz dixit ei: <sup>† Cū p̄lati ecclesie potentes arguunt. p̄uif quāsdā similitudines velut de alieno negocio inducunt.</sup>

**Duo** viri erāt ī ciuitate vna. vn<sup>9</sup> diues. z alter pauper. **Diues** habebat oues z boues plurimos valde. pauper autē nihil habebat oīno p̄ter ouem vnā paruulā quā emerat z nutrierat. z quę creuerat apud eum cum filijs eius. simul de pane illius comedens z de calice ei<sup>9</sup> bibens. z ī sinu illius dormiens: eratq; illi sicut filia. **Cū** autē peregrinus quidam venisset ad diuitem. parcens ille sumere de ouibus z bobus suis. vt exhiberet conuiuiū peregrino illi qui venerat ad se: tulit ouem viri pauperis: z preparauit cibos homini <sup>† Post similitudines rectā sententiā cōtra se qua si in alterū profuerit potentes</sup> illi qui venerat ad se. **†** **Fratus** autē indignatione dauid aduersus ho-

minē illum nimis. dixit ad nathā **U**iuī dominus. qm̄ filius mortis est vir qui hoc fecit. **De**us reddet in quadruplū: eo q; fecerit verbū <sup>† tandē p̄lati modis cōgruentib; de proprio reatu potentes feriāt iam in nulla sui defensio erectos. quippe sentētia proprii oris ligatos.</sup> istud z nō pepercerit. **†** **Dixit** autē nathan ad dauid: **Tu** es ille vir q; fecisti hanc rem. **Hęc** dicit dominus deus israel: **Ego** vnxi te ī regem super israel. z ego erui te de manu saul. z dedi tibi domuz domini tui. z vxores domini tui in sinu tuo. dediq; tibi domuz israel z iuda. z si parua sunt ista: adiciā tibi multo maiora. **Quare** ergo contēpsisti verbum domini. vt faceres malum in conspectu meo? **U**riam ethēum percussisti gladio z vxorem illius accepisti tibi vxorem: z interfecisti eum gladio filiorum ammon. **Quāobrem** non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum. eo q; despereris me. z tuleris vxores vrie ethēi vt esset vxor tua. **Itaq;** hęc dicit dominus: **Ecce** ego suscitabo super te malum de domo tua. z tollam vxores tuas in oculis tuis: z dabo proximo tuo: z dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. **Tu** enim fecisti abscondite: ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis israel: z in conspectu solis huius. **Et** dixit dauid <sup>† Qui humiliter cōfiteatur veniā mox cōsequet.</sup> ad nathan: **†** **Peccaui** domino. **Dixitq;** nathan ad dauid: **Dom**inus quoq; transtulit peccatū tuū. **Non** morieris. **Uerū** tamen qm̄ <sup>† Apud gentes scelestū habetur. si quis vxores alter<sup>9</sup> per vi sibi vendicauerit maxie qui p̄est</sup> blasphemare fecisti iūicos nom̄ <sup>quia talē regē p̄fecisset</sup> domini propter verbū hoc: filius

**Dixitq; nathā.**

**O**mnia tñ que p̄ peccato p̄dicta sunt ei: postmodū tolerauit. **D**eus delictū delet: sed inultū nō deserit. **A**ut enī homo in se penitēs punit: aut deus hęc cū hoīe vindicans percuit. **N**on igit̄ peccato paratur q; sine vindicta non laxatur. **S**ic enī dauid audire post confessionē meruit: dñs transtulit peccatū tuū: z tñ multis post cruciatib; afflictus. effugies reatū culpe quā p̄trauerat etoluit. **S**ic nos salutis vnda a culpa p̄imi parentis absoluiur: s; absoluti q; ad huc carnaliter obimus. q; delicta nostra vel p̄ nos vel per se ipsum deus resecat: etiā cū relaxat. **A**b electj enī suis iniquitatū maculas studet temporali afflictione tergere: qđ in eis perpetuo non vult videre.

qui natus ē tibi morte morietur:  
**E**t reuersus est nathan i domum  
 suam. Percussitq; dominus par  
 uulū quē pepererat vxor vrig da  
 uid. ⁊ desperatus est. Deprecatus  
 q; est dauid dominū pro paruulo  
 ⁊ <sup>Et nos ieiunemus et super terraz iacemus  
 donec peccati desiderū funditus aboletur.</sup> ieiunauit dauid ieiunio ⁊ igref  
 sus seorsum iacuit super terram.  
**V**enerunt autē seniores dom⁹ ei⁹  
 cogentes eum vt surgeret de ter  
 ra. Qui noluit: neq; comedit cum  
 eis cibum. **A**ccidit autem die se  
 ptima vt moreretur infans. **T**imu  
 erūtq; serui dauid nunciare ei q  
 mortuus esset paruulus. **D**ixerūt  
 enim: **E**cce cum paruulus adhuc  
 viueret loquebamur ad euz. ⁊ nō  
 audiebat voces nostrā: quātoma  
 gis si dixerimus mortuus ē puer  
 se affliget? **C**um ergo audisset ser  
 uos suos musitantes. intellexit q  
 mortuus esset infantul⁹. **D**ixitq;  
 ad seruos suos: **N**um mortuus  
 ē puer? **Q**ui respōderūt ei: **M**or  
 tuus est. **S**urrexit ergo dauid de  
 terra. ⁊ lotus vinctusq; est. **L**unq;  
 mutasset vestem. ingressus est do  
 mum domini ⁊ adorauit: ⁊ venit  
 in domum suaz. **P**etiuitq; vt po  
 nerent ei panem: ⁊ comedit. **D**ixe  
 runt autem serui sui: **Q**uis est ser  
 mo quē fecisti propter infantem?  
**C**um enim adhuc viueret: ieiuna  
 sti ⁊ flebas. **M**ortuo autē puero  
 surrexisti. ⁊ comedisti panē? **Q**ui  
 ait: **P**ropter infantem cū adhuc  
 viueret ieiunauit ⁊ fleui. **D**icebas  
 enim: **Q**uis scit si forte donet euz  
 michi dominus et viuat infans?

**N**unc autem quia mortuus est:  
 quare ieiunio? **N**ūquid potero re  
 uocare eum amplius? **E**go vadā  
 magis ad eum: ille vero nō reuer  
 tetur ad me. **E**t consolatus est da  
 uid bersabee vxorem suā. **I**ngres  
 susq; ad eā dormiuit cū ea. **D**ux  
 genuit filium: ⁊ vocauit nomen  
 eius salomon. **E**t dominus dile  
 xit euz. **V**isitq; eum iu manu na  
 than prophete. ⁊ vocauit nomen  
 eius <sup>In hebreo idida. i. dilectus dñi propter dñm  
 s. propter gratiā misericordiā qua eū diligere  
 dignatus ē quāuis manzer esset.</sup> amabilis domino: eo q; eū  
 dominus diligeret. **I**gitur pugna  
 bat ioab contra <sup>quādo cū adiectione scribitur rabbath sicut  
 hic. quando sine adiectione rabba.</sup> rabbath filiorū  
 ammon: ⁊ expugnabat vrbe re  
 giam. **V**isitq; ioab nuncios ad  
 dauid dicens: **D**imicauit aduersū  
 rabbath. ⁊ capienda est vrbs a q̄  
 rum. **N**unc igitur congrega re  
 liquam partem populi. ⁊ obside  
 ciuitatem. ⁊ cape eam: ne cū a me  
 vastata fuerit vrbs nomini meo  
 ascribatur victoria. **C**ongregauit  
 itaq; dauid omnem populum. ⁊  
 profectus est aduersum rabbath  
 Cūq; dimicasset cepit eam. **E**t tu  
 lit diadema regis eorum de capi  
 te eius. pondo auri talentum ha  
 bens. gemmas preciosissimas. ⁊  
 impositus est super caput dauid.  
**S**ed ⁊ prēdā ciuitatis asportauit  
 multam valde. **P**opulum quoq;  
 eius adducens <sup>i. ferra per mediū secuit  
 rotis incidētia</sup> ferrauit. ⁊ circum  
 egit super eos <sup>Eos. i. scultros per eos</sup> ferrata carpenta.  
**D**iuisitq; <sup>Similitudine. i. modo quo trāsdūantur  
 per lateres adhuc teneros ut conformantur.</sup> cultris: ⁊ transduxit  
 in typo laterū. **S**ic fecit ciuita  
 tibus vniuersis filiorū ammon.  
**E**t reuersus est dauid ⁊ omnis

**V**isitq; ioab.

**H**ec victoria dauid  
 quā ioab inchoauit.  
 ⁊ ipse perfecit: signifi  
 cat victoriā nostri re  
 gis. **D**ux enī contra  
 hostes bellū gerit: cū  
 predicatorū ordo cō  
 tra mūdi potētes scu  
 tū fidei opponit. **S**;  
 victoria ad christum  
 refert: cui omnis po  
 testas ⁊ potētia regni  
 ascribit. **D**eus ē enī  
 qui operat i nobis ⁊  
 velle ⁊ perficere. **C**o  
 ronā ergo regis ho  
 stilis populi tulit da  
 uid. ⁊ sibi diadema  
 fecit: cū christus dia  
 bolo regnū auferēs.  
 sibi insigne decorum  
 parauit. **E**st enī da  
 uid corona cōuentus  
 catholici populi. qui  
 caput nostrū. i. xpm  
 fide ⁊ cōuersatiōe co  
 ronāt ⁊ ambit. **D**is  
 enī sanctorū labor cer  
 tamen ⁊ victoria ad  
 honore eius refertur.  
**R**abbath ciuitas re  
 gni ammon. q̄ nunc  
 philadelphia vocat:  
 ⁊ interpretat multitu  
 do. **E**t i euāgelio di  
 citur: q; multi veniēt  
 ab oriente ⁊ occidēte  
 ⁊ recūbent cū abraaz  
 ysaac ⁊ iacob i regno  
 celorum.

**C**irca aquarū.

**P**ropter abundan  
 tiā quę ibi erat a que  
 vel vt quidā dicunt  
 populorum.

**E**t tulit diade

**m**a regis. **I**n pa  
 raliptata legitur. **T**u  
 lit dauid coronā mel  
 chon de capite eius: ⁊  
 inuenit in ea auri pō  
 do talentū. ⁊ precio  
 sissimas gemmas. **F**e  
 citq; sibi inde diade  
 ma. **N**ō ē enī nomen  
 propriū melchon sed  
 interpretat rex eorū.  
**M**elchon vt voluit  
 bebrgi idolū ē ammo  
 nitariū. cuius diade  
 matis aurū ⁊ gemas  
 dauid dicit conlasse  
 ⁊ purgasse scdm legē  
 ⁊ fecisse sibi diadema

exercitus in hierusalem.

**C. XIII.**  
**A**ctū est autē post hęc vt absalon filij

dauid sorozē speciosissimā voca-  
bulo thamar adamaret ammon  
filius dauid. z deperiret in eā val-  
de: ita ut egrotaret pzopter amo-  
rem eius. quia cuz esset virgo: dif-  
ficile ei videbatur. vt quippiāz in  
honeste ageret cum ea. Erat autē  
amnon amicus nomine ionadab  
filius semmaa fratris dauid vir  
prudens valde. Qui dixit ad eū:  
Quare sic attenuaris macie fili re-  
gis per singulos dies? Cur nō in-  
dicas mihi? Dixitq; ei amnō: Tha-  
mar sorozem fratris mei absalon  
amo. Cui respōdit ionadab: Cu-  
ba super lectulū tuuz. z languozē  
simula. cūq; venerit pater tuus vt  
visitet te. dic ei: Veniat oro tha-  
mar soroz mea. vt det mihi cibū:  
z faciat pulmentū vt comedaz de  
manu eius. Accubuit itaq; amnō  
z quasi egrotare cepit. Cūq; venis-  
set rex ad visstrandū eū ait amnon  
ad regē: Veniat obsecro thamar  
soroz mea. vt faciat in oculis meis  
duas sorbitiunculas. z cibuz pa-  
ratum capiam de manu eius. Mi-  
sit ergo dauid ad thamar domuz  
dicens: Veni in domum amnon  
fratris tui. z fac ei pulmentū. Ve-  
nitq; thamar in domū amnon fra-  
tris sui: Ille autē iacebat. Quē tol-  
lens farinam cōmiscuit. z liquefa-  
ciens in oculis eius: corit sorbi-  
tiunculas. Tollensq; qđ coxerat.

**Sorbitiuncula**  
Est qđ ad sorbendū  
aptum est.

effudit z posuit coraz eo: z noluit  
comedere. Dixitq; amnon: Eijcite  
vniuersos a me. Cūq; eiecissent  
omnes: dixit amnon ad thamar:  
Infer cibuz in conclau. vt vescar  
de manu tua. Tulit ergo thamar  
sorbitiunculas quas fecerat. z in-  
tulit ad amnon fratrem suū i con-  
clau. Cūq; obtulisset ei cibuz. ap-  
prehendit eā z ait: Veni cuba me  
cuz soroz mea. Quē respondit ei  
Noli frater mi. noli oppmēre me:  
Neq; enim hoc fas est in israhel.  
Noli facere stulticiam hanc. Ego  
enim ferre non potero opprobriū  
meū. z tu eris quasi vnus de insi-  
pientibus in israhel: Quin potius  
loquere ad regem: z non negabit  
me tibi. Noluit autē adquiescere  
precibus eius. sed pzeualens vi-  
ribus oppressit eam: z cubauit cū  
illa. Et exosam eam habuit amnō  
odio magno nimis. ita vt maius  
esset odium quo oderat eaz: amo-  
re quo ante dilexerat. Dixitq; ei  
amnon: Surge z vade. Quē re-  
spoudit ei: Maius est hoc maluz  
qđ nunc agis aduersuz me qđ qđ  
ante fecisti expellēs me. Et noluit  
audire eaz: sed vocato puero qui  
ministrabat ei dixit: Eijce hanc a  
me foras. z claude hostium post  
eam. Quē induta erat talari tuni-  
ca: huiuscemodi enim filie regis  
virgines vestibus vtebant. Eie-  
cit itaq; eam minister illius foras:  
clausitq; fores post eam. Quē as-  
pergens cinerem capiti suo. scissa  
talari tunica. impositisq; manib?

**Oppressit eam**

Inceltus amnon ma-  
ioris filij dauid in so-  
rore sua thamar z  
parricidiū absalon i  
amnon fratre monet  
nos. vt semper caute  
agamus: ne vicia in  
nobis dominēt. z pn-  
ceps peccati (qui fal-  
sam pacem perclitan-  
tib; spondet) nos im-  
paratos inueniens.  
de iprouiso trucidet.  
Absalon enim pater  
pacis: vel patris par-  
interpretat. Amnon  
donans. Thamar:  
amaritudo. Qui enī  
mēbra sua donat li-  
bidini. z seruit iniqua-  
ti ad iniquitatē: i pec-  
cati amaritudinē ca-  
dit: licet inimicus se-  
q̄si patre pacis osten-  
det z prospera pro ta-  
lib; factis promittat.  
Necesse ē enī vt cito  
ad penitentiā redeam?  
ne forte diabolus per  
malignos spūs in ne-  
cem nostrā conspiret  
z morti perpetuē tra-  
dat.  
**Et exosam eam.**  
Et nos admissum fa-  
cinus odio habeam?  
magis qđ ante perpe-  
trationē dilexeram?  
z ob hoc citius conse-  
quemur veniā: si tñ i  
alio vicio denuo nō  
offendamus sic anōn  
qui quia post incestū  
ebrietatē nō vitauit:  
ob hoc mortē nō euā-  
sit.

super caput suū. ibat ingrediens  
 ⁊ clamans. Dixit autem ei absalon  
 frater suus: Nūquid ammon frater  
 tuus concubuit tecum? Sed nūc  
 sozoz tace: frater tuus est. neq; af-  
 fligas cor tuū pro hac re. Mansit  
 itaq; thamar contabescens in do-  
 mo absalon fratris sui. Cum autē  
 audisset rex dauid verba hęc: con-  
 tristatus est valde. ⁊ noluit contri-  
 strare spiritum ammon filij sui. qm̄  
 diligebat eum: quia primogenit⁹  
 erat ei. Porro non est locutus ab-  
 salon ad ammon nec malū nec bo-  
 num. Oderat enim absalon am-  
 non: eo q; violasset thamar sozoz  
 rem suam. Factum est autem post  
 tempus biennij. vt tonderentur  
 oues absalon in balasoz que ē iur-  
 ta effraim. Et vocauit absalon  
 omnes filios regis. Venitq; ad re-  
 gem. ⁊ ait ad eum: Ecce tondetur  
 oues serui tui. Veniat oro rex cum  
 seruis suis ad seruum suū. Dixit  
 q; rex ad absalon: Noli fili mi. no-  
 li rogare vt veniamus omnes. ⁊  
 grauemus te. Cum autez cogeret  
 eum ⁊ nolisset ire. benedixit ei.  
 Et ait absalon: Si non vis veni-  
 re. veniat obsecro nobiscum saltē  
 ammon frater meus. Dixitq; ad eū  
 rex: Nō est necesse vt vadat tecū.  
 Coegit itaq; eum absalon. ⁊ dimi-  
 sit cum eo ammon. ⁊ vniuersos fi-  
 lios regis. Feceratq; absalon cō-  
 uiniū quasi conuiuiū regis. Pre-  
 ceperat autē absalon pueris suis  
 dicens: Obseruate cum temulen-  
 tus fuerit ammon vino. ⁊ dixerō

vobis percutite eum ⁊ interficite:  
 nolite timere. Ego enim sum qui  
 p̄ceptio vobis. Roborami ni. ⁊  
 estote viri fortes. Fecerunt ergo  
 pueri absalon aduersum ammon:  
 sicut p̄ceperat illis absalon. Sur-  
 gentesq; omnes filij regis ascen-  
 derunt singuli mulas suas ⁊ fuge-  
 runt. Cūq; adhuc pergerent in iti-  
 nere. fama peruenit ad dauid di-  
 cens: Percussit absalon omnes  
 filios regis: ⁊ non remansit ex eis  
 saltem vnus. Surrexit itaq; rex  
 dauid. ⁊ scidit vestimenta sua: ⁊  
 cecidit super terram. Et omnes ser-  
 ui eius qui assistebant ei: sciderūt  
 vestimenta sua. Respondens autē  
 ionadab filius semmaa fratris da-  
 uid dixit: Ne estimet domin⁹ me-  
 us rex q; omnes pueri regis occi-  
 si sint. Amnon solus mortuus ē:  
 qm̄ in odio absalon erat positus  
 ex die qua oppressit thamar sozoz  
 rem eius. Nūc ergo ne ponat do-  
 minus meus rex super cor suum  
 verbum istud dicens. omnes filij  
 regis occisi sunt: qm̄ ammon solus  
 mortuus est. Fugit autem absa-  
 lon. Et eleuauit puer speculatoz  
 oculos suos ⁊ asperit: ⁊ ecce popu-  
 lus multus veniebat per iter de-  
 uium ex latere montis. Dixit autē  
 ionadab ad regem: Ecce filij regis  
 assunt: iuxta verbum serui tui sic  
 factum est. Cūq; cessasset loqui  
 apparuerūt ⁊ filij regis. Et intran-  
 tes leuauerunt vocem suam ⁊ fle-  
 uerunt. Sed ⁊ rex ⁊ omnes serui  
 ei⁹ fleuerūt ploratu magno nimis

**C**holomai. Hic fuit pat maacha matris absalon. quā dicunt hebrei dauid in filio cepisse. et cesarię et vnguibz precisis: scdm legē in vxorem sibi sociasse: et ea generasse thamar et absalon.

**C**essauitqz zc: In hebreo. Cessauit rex exire post absalon. Verbitur enī dauid exire voluisse p absalon vt reuocaret eū: sed putans. quia quotiens eū videret: mortē ānon ad me moriā reduceret: cessauit exire.

**A**ncille tuę zc: Aut hebrei hęc mulierē vere duos filios habuisse: et pro hereditate certasse: et alterū ab altero iterēptū mulier tñ se in psona dauid posuit: et filios i persona ānon et absalon. cognationē vero quę cōsurgit cōtra filiū: in persona aliorum filiorū dauid.

Porro absalon fugiens abiit ad tholomai filium āmiur regez gesur. Luxit ergo dauid filium suuz ammon multis diebus. Absalon aut cum fugisset. et venisset in gesur. <sup>† Quia cessauit exire post absalon: vel quia no uerat ammon flagiciosum et morte dignum.</sup> fuit ibi tribus annis. Cessauit qz dauid rex persequi absalon: eo qz consolatus esset super ammon interitu.

C. XIII.

**I**sta vidit eū pro absalon suspirasse. **I**ntelligēs aut

ioab filius saruie qz cor regis versum esset ad absalon: mī <sup>† De qua fuit amos propheta. cuius hec vidua putatur fuisse auia</sup> sit thecuam et tulit inde mulieres sapientem. dixitqz ad eam: Luge re te simula. et induere veste lugubri. et ne vngaris oleo: vt sis quasi mulier plurimo iam tempore lugens mortuū. Et ingredieris ad regem. et loqueris ad eum sermones huiuscemodi. Posuit autem ioab verba in ore eius. Itaqz cuz ingressa fuisset mulier thecutes ad regem: cecidit coram eo super terram. et adorauit et dixit: Serua me rex. Et ait ad eam rex: Quid causę habes? Quę respōdit: Deu mulier vidua ego sum. Mortuus est eni vir meus. et ancille tuę erāt duo filij. qui rixati sunt aduersus se in agro. nullusqz erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum. et interfecit eum. Et ecce cōsurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuaz dicit: Trade eū qui percussit fratrem suum. vt occidamus eum pro anima fratris sui quē interfecit. et deleam⁹ hęc dē.

<sup>† Reliquias meas a similitudine ignis.</sup> Et querunt extinguere <sup>†</sup> scintillas meam quę relicta est: vt nō super sit viro meo nomen et reliquię sup terram. Et ait rex ad mulierē: Uade in domū tuam. et ego iubebo p te. Dixitqz mulier thecutes ad regez: In me dñe mi rex sit iniquitas. et in domū patris mei: rex aut et thronus eius sit innocēs. Et ait rex: Qui contradixerit tibi adduc eum ad me: et vltra non addet vt tangat te. Quę ait: Recordet rex domini dei sui. et non multipli cēt p̄oximi sanguinis ad ulciscendū et nequaqz interficient filiu meū. Qui ait: **U**iuat domin⁹. quia non cadet de capillis filij tui super terram. Dixit ergo mulier: Loqua ancilla tua ad dominū meū regez verbum. Et ait: Loquere. Dixitqz mulier: **Q**uare cogitasti istiusmo <sup>† Absalon. f. et qui cū eo erat qui quasi captiu et electi nō reducebantur ad hereditatem dei. et poterāt coacti in terra aliena seruire diis aliis di rem cōtra populū dei. et locu⁹</sup> est rex verbum istud vt peccet: et non reducat abiectū suum: **D**ēs morimur. et qsi aque dilabimur i terram: quę non reuertunt. **N**ec <sup>† Quasi deus reuocat peccatores. qui a diabo lo captiu tenentur. et tu abieci qui cum debes imitari</sup> vult deus perire animā: sed retractat cogitans ne penitus pereat q abiectus est. **N**unc igitur veni. vt loquar ad dominū meum regem verbum hoc p̄sente populo. Et dixit ancilla tua: loquar ad regē. si quo modo faciat rex verbuz ancille suę. Et audiuit rex verba vt liberaret ancillam suam de manu <sup>vel volebant</sup> omnium q querebāt de hereditate domini delere me et filium meum

**In me domine.** Quali. qz alter aduersus alterū surrexit in me sit iniquitas: si tñ esse debet. in te āt nulla sit. q absqz culpa es. et sicut ego absqz culpa sum. si alter filius meus interfecit est ab altero. sic et tu: si absalon ānon morte dignū interfecit.

**Et locutus est zc** Ex hoc aperitur qd paulo superius dictū est. cessauit rex exire post absalon.

simul. **D**icat ergo ancilla tua ut fiat  
 verbum domini mei regis sicut  
. i. firmū et acceptū  
 sacrificiū. **S**icut enim angelus dñi  
 sic est dominus meus rex: ut nec  
hominū a recto  
 benedictione nec maledictōe mo-  
 ueatur. **U**nde et dominus deus  
 tuus est tecum. **E**t respondēs rex  
 dixit ad mulierem: **N**e abscondas  
 a me verbum quod te interrogo. **D**i-  
 xitque mulier: **L**oquere domine mi  
 rex. **E**t ait rex: **N**ūquid man⁹ io-  
 ab tecū est in omnibus istis? **R**e-  
 spondit mulier: et ait: **P**er salutem  
 anime tue domine mi rex. nec ad  
 sinistram nec ad dexteram est ex om-  
 nibus his que locutus est domin⁹  
 meus rex. **S**eruus enim tuus io-  
 ab ipse precepit mihi: et ipse posuit  
 in os ancille tue omnia verba hec  
† . i. me in persona tua accipere filios meos in  
 persona tuorum  
 ut verteret figuram sermonis hu-  
 ius. **S**eruus tuus ioab precepit  
 istud. **T**u autem domine mi rex sapi-  
 ens es. sicut habet sapientiaz an-  
 gelus dei. ut intelligas omnia su-  
 per terram. **E**t ait rex ad ioab: **E**c-  
 ce placatus feci verbum tuum. **U**a-  
 de igitur et reuoca puerum absalon.  
**L**adensque ioab super faciem suam  
 in terram adorauit. et benedixit re-  
 gi. **E**t dixit ioab: **H**odie intellexit  
 seruus tuus: quia inueni gratias  
 in oculis tuis domine mi rex. **F**e-  
In plerisque interponitur domine mi rex.  
 cisti enim sermonem serui tui. **S**ur-  
 rexit ergo ioab et abiit in gessur: et  
 adduxit absalon in hierusalē. **D**i-  
 xit autem rex: **R**euertatur in domum  
† Ne presentia eius morte ammon ad memoria  
 reducens tristicam mihi inferat  
 suam: et faciem meam non videat. **R**e-  
 uersus est itaque absalon in domum  
 suam. et faciem regis non vidit.

**P**orro sicut absalon vir non erat  
 pulcher in omni israel: et decorus ni-  
 mis. **A** vestigio pedis usque ad uer-  
 ticem: non erat in eo vlla macula.  
**E**t quando tondebat capillum:  
† Auit i hebreo esse statuto tempore scilicet  
 tricesimo die  
 semel autem in anno tondebat: quia  
 grauabat eum cesaries: pondera-  
 bat capillos capitis sui ducentis  
 siclis pondere publico. **N**ati sunt  
 autem absalon filij tres: et filia vna  
 nomine thamar elegantis forme.  
**M**ansitque absalon in hierusalem  
 duobus annis: et faciem regis non  
 vidit. **M**isit itaque ad ioab: ut mit-  
 teret eum ad regem. **Q**ui noluit  
 venire ad eum. **L**uc secundo mi-  
 sisset. et ille nolisset venire: dixit  
 seruis suis: **S**citis agrum ioab iux-  
 ta agrum meum habentem messem  
 ordei. **I**te igitur et succendite eum  
 igni. **S**uccenderunt ergo serui ab-  
 salon segetem igni. **E**t venientes  
 serui ioab scissis vestimentis suis  
 dixerunt: **S**uccenderunt serui ab-  
 salon partem agri igni. **S**urrexit  
 ergo ioab. et venit ad absalon in  
 domum eius. et dixit: **Q**uare suc-  
 cenderunt serui tui segetem meam  
 igni. **E**t respondit absalon ad ioab:  
**M**isi ad te obsecrans ut venires  
 ad me. et mitterem te ad regem et di-  
 ceres ei: **Q**uare veni de gessur?  
**M**elius mihi erat ibi esse. **O**bse-  
 cro ergo ut videam faciem regis.  
**N**isi si memor est iniquitatis mee  
 et interficiat me. **I**ngressus ioab  
 ad regem nunciavit ei omnia hec. **U**oca-  
 uit ergo absalon et intravit ad regem: et  
 adorauit super faciem terre coram eo

**I**gitur post hec. Duobus annis malit in hierusalē. et regem nō vidit: tercio intro ductus est corā rege. quarto fecit sibi cur rus et eq̄tes: quo trās acto expulit patrē de regno. nec p̄ seducti one et interfectione sa cerdotū eiectus est de regno s̄z pro adultio et homicidio natban cuucta p̄dicente.

**Post xl. an. an. 2c.** Quadragelimus annus agebat ex quo saul nobe ciuitatem subuertit et lxxxv. sa cerdotes propter da uid interemit. Ideo hic quadragelimo an nus ponit. ut mōstre tur diuinā vltionem suscitari super dauid eo q̄ abimelech sacer dotē fecellit. et tāte ce dis causa fuit. In mē dosis autē codicibus quattuor nō. xl. legūt sed i hebreica veritate nō quattuor sed xl. Si quis vero contē tiōsus quattuor ānos esse asserit. ex quo ab salon ammon interfe cit. vsq̄ quo patri di xit: vadā et reddā vo ta mea que noui dño in hebron. plane er

Osculatusq̄ ē rex absalō. c. xv.

**I**git post hec fecit sibi absalon currus et equites. et quinquagita viros q̄ p̄cederent eum. Et mane cōsur gens absalon stabat iuxta introi tum porte in via. et omnes virum qui habebat negociuz vt veniret ad regis iudiciū vocabat absalon ad se. et dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respōdens aiebat: Ex vna tribu israhel ego sum seruus tuus. Respondebatq̄ ei absalon: Uidentur mihi sermones tui bo ni et iusti: sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatq̄ ab salon: Quis me constituat iudicē super terram. vt ad me veniant omnes qui habent negociū et iuste iudicem? Sed cum accederet ad eum homo vt salutaret illum: ex tendebat manū suam et apprehē dens osculabatur eum. Faciebat q̄ hoc omni israhel venienti ad iu diciū vt audiretur a rege: et solli citabat corda virozū israhel. Post <sup>In hebraica veritate quadragita. Freuerstōis</sup> quattuor autē annos dixit ab salon ad regem dauid: Vadā et red dam vota mea que voui domino in hebron. Clouens enī vouit ser uus tuus cum esset in gessur surig dicens: Si reduxerit me domin⁹ in hierusalē: sacrificabo domio. Dixitq̄ ei rex dauid: Uade i pace Et surrexit et abiit in hebron. Mi sit autē absalon exploratores i vni uersas tribus israhel dicens: Sta tim vt audieritis clangorē bucci ne: dicite regnabit absalon in he

bron. Porro cum absalon ierunt ducenti viri de hierusalem vocati euntes simplici corde et causaz pe nitus ignorantes. Accersiuu quo q̄ absalon achitophel gilonitem consiliariuz dauid de ciuitate sua gilo. Cūq̄ immolaret victimas. fa cta est coniuratio valida: populuf q̄ concurrens augebatur cuz ab salon. Venit igitur nūcius ad da uid dicens: Toto corde vniuersuf israhel sequitur absalon. Et ait da uid seruis suis qui erant cum eo i hierusalem: Surgite et fugiamus. Neq̄ enim erit nobis effugiū a fa cie absalon. Festinate egredi. ne forte veniens occupet nos. et ipel lat super nos ruīnam: et percutiat ciuitatē in ore gladij. Dixeruntq̄ serui regis ad euz: Omnia quecū q̄ p̄ceperit domin⁹ noster rex libent̄ exequimur serui tui. Egres sus est ergo rex et vniuersa domus eius pedibus suis. Et reliquit rex decē mulieres concubinas ad cu stodiendam domum. Egressusq̄ rex et omnis israhel pedibus suis. stetit procul a domo. Et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eū: et legiōes cerethi et phelethi et oēs gethei pugnatores validi sexcēti viri qui secuti eū fuerant de geth. p̄cedebant regem. Dixit autē rex ad ethai getheum: Cur venis no biscū? Reuertere et habita cū rege quia peregrinus es. et egressus de loco tuo. Veri venisti. et hodie cō pelleris nobiscū egredi. Ego autē vadā quo iturus sum. Reuertere

rat: cū absalon inter fecto ammon i gessur apud tholomai regē tribus annis. et in bie rusalem reuocat⁹ nō viso patre duobz an nis moratus fuerit: et sexto anno faciem pa tris viderit: dū cōtra eū perduellionē mo uerit. Vota nāq̄ se vouisse mentiedo di xit: quasi oraturus in loco vbi requiescunt abraā ylaac et iacob.

z reduc tecum fratres tuos. z dñs  
 faciat tecū misericordiam z verita  
 tem: quia ostendisti gratiā z fidez  
**Et** respondit ethai regi dicēs: **U**  
 uit dñs. z uiuit dominus me<sup>9</sup> rex  
 qm̄ in quocūq; loco fueris domie  
 mi rex. siue in morte siue in vita:  
 ibi erit seruus tuus. **Et** ait dauid  
 ethai: **U**eni z transi. **Et** transiuit  
 ethai getheus z rex. z omnes viri  
 qui cum eo erant. z reliqua multi  
 tudo. **O**mnesq; flebant voce ma  
 gna. z vniuersus populus transi  
 bat. **R**ex quoq; transgrediebatur  
